



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 2. De Libertate Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

## §. II.

## De Libertate Ecclesiastica.

I. Usurpans per se vel alios bona ac jura quæcunque alicujus Ecclesiæ, Beneficii, aut pii loci, ad necessitates Ministrorum vel pauperum pertinentia, seu impediens, ne ab iis, ad quos pertinent, percipiantur, tamdiu anathemati subiacet, donec Ecclesiæ aut Beneficiario integrè restituat, & a Pontifice absolutionem obtrinerit. *sess. 22. c. 11.*

II. Si Patronatus fuerit, etiam jure patronatus ultra prædictas pœnas eo ipso privatus existat. *ibidem.*

III. Clericus verò præterea quibuscunque Beneficiis privatus sit, & ad alia Beneficia inhabilis ac ab Ordinibus etiam post integram satisfactionem & absolutionem arbitrio Ordinarii suspendatur. *ibidem.*

IV. Sæculares Principes admonentur, ut jus suum Ecclesiæ restitui non tantum concedant, sed subditos suos revocent ad debitam reverentiam, nec permittant, ut ab Officialibus Ecclesiæ immunitas violetur. *sess. 25. c. 20.*

V. Sacri Canones, Concilia generalia, nec non Apostolicæ Sanctiopes in favorem Ecclesiasticarum personarum libertatis Ecclesiasticæ & contra ejus violatores editæ, quæ omnia S. Synodus innovat, exactè ab omnibus observentur. *ibidem.*

VI. Monentur Imperatores, Reges, Respublicæ, Principes, ne jura Ecclesiastica lædi permittant.

## §. III.

Alia quædam tam Ecclesiasticis quam Laicis vitanda & observanda.

I. Concubinarii Laici quomodo puniendi & coercendi sint, vide *sess. 24. de matrim. supra p. 1. c. 7.*

II. Duellorum usus penitus extirpetur, & exterminetur. *sess. 25. c. 19.*

III. Domini temporales locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concedentes, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictionem & dominium illius loci amittant. *IV. P. 2.*